

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

ICTERICO.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS

DE
ICTERO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et

Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

FRANCISCUS MAXWELL,

SCOTO-BRITANNUS

GLASGUENSIS.

Morbus regius urget. HORAT.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDERAT ADAMUS NEILL CUM SOCIIS.

M DCC XCV.

CONSOBRINO,
VIRO HONORABILI
GULIELMO CRAIG,
UNI
EX QUINDECENVIRIS,
QUI,
IN SUPREMA APUD SCOTOS CURIA,
LITES
DIJUDICANT ;
NECNON
UNI
EX SEVIRIS,
QUI
CRIMINA APUD SCOTOS ADMISSA
COGNOSCUNT ;
INTEGRO, PROBO, LITERISQUE ORNATO,
HAS STUDIORUM PRIMITIAS
ANIMO GRATO
ET SUMMA OBSERVANTIA
D. D. CQUE
FRANCISCUS MAXWELL.

DISPUTATIO MEDICA

IN ACADEMIA

LECTURA

CORRIGENDUM.

§ XC. 2. lin. 8. *pro presa lege pressa*

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

ICTERO.

§ I. **C**UM nobiscum reputamus, quot ob-
stent causæ, quò minùs in *duode-*
num fluat bilis, in aperto est, quamobrem ho-
minum genus tam sæpe agitet icterus. De
hoc morbo, ad quem, cùm ob sævitiam ejus
tam frequentiam, animos summâ curâ adver-
terunt medici, hìc disputare constituimus.

A

II. Hic

II. Hic morbus variis, apud vetustos auctores, insignitus est nominibus, *morbo*, nimirum, *arcuato*, *aurigine*, *morbo regio*, et *ictero*. Eum *jaundice* BRITANNI nominant; recentes imitati GALLOS, qui, propterea quòd flavescunt ictERICI, eum ipforum linguâ *jaunisse* appellant.

DEFINITIO.

III. Icterum aptè definivit CULLENUS, his verbis: “ Flavedo cutis et oculorum: fæces
 “ albidæ: urina obscurè rubra, immiffa colore luteo tingens.”

HISTORIA.

IV. Licèt nulli sint hominum generis, qualicunque sint ætate, sexu aut temperamento, quin ictero flavescere possint: tamen, ut aiunt auctores,

auctores, huic opportuni adulti, præ infantibus impuberibusve, sunt; præ maribus, fœminæ.

V. Incipiente ictero, languescit lassescitque totum corpus, simulque regio hepatica tenditur quasi et dolet. Quinetiam, homo cibum haud rarò averfatur, imo etiam vomit; difficilè spirat, atque molesto circa præcordia sensu et anxietate afficitur.

VI. His (v.) signis haud multò post accedit *flavedo* tunicæ oculi *adnatæ*, itidemque unguium et cutis. Hujusmodi verò *flavedo* primum interdum signum est, quod icterum prodit.

VII. Progrediente morbo, non solùm flavent partes (vi.) dictæ, sed flavescunt itidem cæteræ corporis partes, etiam intimæ. Incisis enim ictericorum cadaveribus, cerebrum, ossa, et ipsæ quidem cartilaginee, ut testatur SAN-

DERISIUS *, haud mediocris auctor, flava conspicuntur.

VIII. Imo etiam, ipsi, qui ex irrequieto sanguine fecernuntur, liquores vitium capiunt. Saliva amarescit, et flavescit. Urina quoque luteo proprium mutat colore, et immissa in se lintea luteola facit. Ipse quidem sanguis ex incisa vena interdum croceus exiluisse dicitur. Perhibet autem HEBERDENUS, se nunquam vidisse exsuctum e mammis lac hoc colore depravatam,

IX. Cùm eò ab ictero perventum est, cutis ubique molestum pruritum capit. Æger torpet; et alvus tarda plerumque fit, imo etiam, interdum dura et compressa. Quæ dejiciuntur, ea albida sunt et argillam simulant, neque solitum emittunt fœtorem.

X. Dictum

* Vid. SANDERIS. *Treatise on the Liver*, pag. 159.

X. Dictum est a quibusdam, ictericis omnia, quæ intueantur, flava apparere : sed res rarissimè, si unquam, ita se habet.

XI. Dolor, quo tam sæpe cruciantur icterici, adeo gravis est, ut matres asseruerint, se multo, ex hoc morbo, quàm ex parturiendo, graviùs doluisse.

XII. Arteriæ, cùm acutus admodum dolor est, interdum crebrò, plenè, et duriter micant, simulque alia febris signa adfunt ; aliàs autem, ferè, ut naturaliter solent, moventur.

XIII. Paucioribus pluribusve ex his (v.—xii.) notis insignitus, icterus in brevius tempus longiusve perstat. Modò levis adeo et fugax est, ut ægro vix aliquid molestiæ afferat. Sæpius autem gravior est, et pertinacior ; quod cùm accidit, ictericus regione hepaticâ acriter dolet, atque subinde vomitu
acerbo,

acerbo, et cæterorum utique signorum augmentum afficitur.

XIV. Morbo sic (XIII.) graviter inveterascente, omnia tandem in pejus ruunt. Sanguis corruptus, et, aliqua ex parte, solutus, in putredinem proclivis redditur; ut cognosci potest ex ægri colore, qui e flavo saturatior fit, et in nigrum vergit. Cùm eò gravitatis processum est, ictericus sæpe vel attonatur, vel sanguinis ex variis partibus profluvio, aut hydrope, e medio tollitur.

XV. Sed, cùm morbus faustiùs decessurus est, omnia signa paulatim inclinant: sensus ad præcordia molestus, pondus, et anxietas, desinunt: urina amissum colorem recuperat: et ictericus, qui, incremente morbo, omne ferè alimentum nauseavit et respuit, nunc, illo inclinato, cibum potumque appetere incipit. Fæces simul albidæ nuper et inolentes, flavescunt, solitumque redolent fœtorem; atque
æger,

æger, haud ita pridem luteus, pristinum colorem paulatim redipiscitur.

D I A G N O S I S.

XVI. Signis suprà (v.—xv.) enarratis in memoria retentis, hunc ab aliis morbum dignoscere minimè arduum erit. Morbi, enimvero, quibus cum hoc aliquid commune est, omnino tres sunt, *flava*, nimirum, *INDIÆ OCCIDENTALIS febris*; *chlorosis*; et *ægritudo*, quam efficiunt ictus veneficarum animantium.

XVII. *Febris* (xvi.) *flava*, et *aurigo*, hoc differunt; quòd, illa urgente, bilis intestinis redundat, ut colligi potest ex fæcibus, quæ solito saturatiùs flavidæ dejiciuntur; quòdque semper adest febris pestifera, qua vires brevè, mirum in modum, exhauriuntur, et cui plerumque supervenit delirium.

XVIII. *Chlo-*

XVIII. *Chlorosis* (xvi.), licet imperitis aut negligentibus ei cum ictero intercedere aliqua similitudo videatur, ab hoc tamen facilè distinguitur. In illo enim morbo, cutis minùs plerumque flavida est; neque oculi magis flavent, quàm cæteræ partes extremi corporis. Urina adeo non lutea est, ut pallida reddatur et limpida. Quinetiam, fœminas solum *chlorosis* afficit; neque, ut icterus, dolore, quasi ex quodam hepaticæ regionis distentu, insignitur. Signa, denique, *chlorosi* propria, hanc ab ictero satis distinguunt.

XIX. *Aegritudo*, quæ supervenit ictibus veneficarum (xvi.) animantium, facilè ab ictero internosci potest. Inter enim hos morbos, hæc interfunt; quòd, illo præsentem, extremum ubique corpus non flavescit; quòd color flavus primò oram tantummodo vulneris ambit, deinde in alias quoquoersum partes sese paulatim diffundit; quòd neque albæ fæces dejiciuntur, neque crocea redditur uri-

na ; demumque, quòd flavus color, quo ictus insignis est, magis vitiato sanguinis sero effici videtur, quàm bile sanguine commixtâ, et hinc arteriarum exhalantium ope effusâ.

XX. His (xvii.—xix.) cognitis et memoriâ retentis, medicus *morbum regium*, ex facili, internoscere poterit.

CAUSÆ REMOTÆ.

XXI. *Prædisponentes*.—Causæ, quæ opportunos huic morbo homines faciunt, parùm evidentes sunt. Sedentarios autem, et eos qui temperamento melancholico insignes existunt, multo sæpius afficit, quàm laboriosos, eosque quos alio quovis temperamento natura formavit. Quocirca, ii, qui se totos in literas abdundunt, et fœminæ, quippe quia utrisque corpo-

ra otio languescunt, præ cæteris, sunt huic morbo obnoxii.

XXII. Hujusmodi (xxi.) insuper causis annumerandus est intemperatus liquorum meraciorum usus, quo profectò nihil opportunius ictero corpus facit. Hinc tam sæpe ebriosis pretium est hoc morbo flavescere, aut effusâ in corporis cava telamve adipalem exanimari aquâ.

XXIII. *Occasionales.*—Quæ ictero dant occasionem, ea sanè numero plurima sunt. Omnia enim, quotquot sunt, quæ impediunt, quò minùs in *duodenum* influat bilis, hunc possunt concitare morbum.

XXIV. Quæ huic (xxiii.) fluxui obstant, ea sequentibus generibus comprehendi possunt.

XXV. — 1. Horum generum *primum*—ea complectitur, quæ, ductus quibus fluit bilis comprimendo, hujus in *duodenum* introitui obstant.

2. *Secundo*—continentur vitia quædam ipsorum ductuum.

3. Ad *tertium*—spectant ea, quæ ductus, hepaticum, nimirum, aut *choledochum*, ita obturant, ut per eos in *duodenum* bilis fluere nequeat.

XXVI.—1. Ad *primum* (xxv.—1.) genus pertinent tumores varii, five inflammationem habentes five duritiam, jecoris, scilicet, pancreatis, aut *duodeni*. Satis utique manifestum est, hujusmodi tumores posse ductus comprimendo morbum regium concitare. Vel tali enimvero compressione, vel impediendo, quò minùs fel ex *poris biliariis* defluat in ductum hepaticum, tumefactum

tumefactum hepar hunc interdum morbum efficit.

2. Eòdem (xxv.—i.) spectat uterus gravidus, qui, mensibus ferè exactis, suo pondere ductus sic comprimit, ut ex iis in *duodenum* bili non pateat exitus.

3. Idem, porrò, (xxv. — i.) genus agnoscit *duodeni* inflatio, quæ ductum *choledochum*, inter ejus intestini tunicas obliquè descendentem, usque eò constringit, ut hinc bilis nequeat effluere.

4. Ad idem, denique, (xxv.—i.) genus pertinent concoctu difficilia, in ventriculum assumptã; quippe quæ, in *duodeno* remorando, orificium ductûs *choledochi*, ex toto, præcludant, et sic icterum concitent.

XXVII. — 1. *Secundi* (xxv. — 2.) generis est ductûs '*choledochi* spasmus. Hunc perfectò ductum sic constringi posse, pernegant nonnulli, qui asserunt, musculosas ejus tunicarum fibras neque emissitiis *anatomicorum* oculis conspici, neque admotis iis, quæ hujusmodi fibras in contractionem ciere solent.

2. Verùm, etiam si hujusmodi fibræ detegi non possint, minimè tamen, eas existere, denegare æquum est. Satis enim superque constat, animi perturbationes icterum interdum effecisse; neque, quo alio modo, quàm committendo ut spasmo coarctetur ductus, hunc efficiant morbum, animo concipere possumus. Ductum enimvero sic coarctari, est verisimillimum, eò quòd opium multum utique pollet ad icterum levandum. Quinetiam, ni fibris musculosis instruantur ductus fellei, quomodo, obsecro, exponere possumus, quamobrem e ductu hepatico fel, per ductum *cysticum*, in vesicam

vesicam hepatis annexam deferatur. Imo, conceditur etiam ab iis, qui propriis ductuum tunicis esse fibras musculosas negant, eam *choledochi* partem, quæ *duodeni* tunicas obliquè intercurrit, musculosarum hujus fibrarum spasmò interdum, ex toto, occludi.

3. His itaque (xxvii. — 2.) cognitiss, æquum nobis videtur cogere, spasmum iis annumerandum esse causas, quæ ictero occasionem præbeant.

XXVIII. Patet, ex cadaveribus incisis, ductuum felleorum tunicas nonnunquam vitia concipere. Feruntur enim inventæ interdum ab *anatomicis* percraffæ, imò etiam in os conversæ, sic ut ductus bili, ferè ex toto, impervii existerent. Quin hoc, quoties acciderit, morbum, de quo differitur, efficiat, dubitari non potest.

XXIX. Quæ

XXIX. Quæ ad *tertium* (xxv.—3.) genus pertinent, ea sunt,

1. *Bilis spissa*, aut *mucus tenax*;
2. *Bilis concreta*.

XXX. — 1. Bilis interdum justo tenacior et spissior fit; partim in vesica fellea diutius stagnando; partim, fortasse, id quod censet SANDERISIUS *, secessione ipsius partis glutinosæ, quæ, ob coagmentationem partium constituentium dissolubilem, sponte a cæteris dissociatur.

2. Hanc verò (xxx.—1.) dissociationem unquam accidere, nondum certò cognitum habemus; neque alia profectò re, ut talem crederet, ipse inductus est SANDERISIUS, quàm similitudine, quæ, quoad partem ejus glutinosam, bili est cum sanguine.

3. Bilis

* Vide SANDERIS. pag. 166.

3. Bilis (xxix.—i.) spiffitas, magna fortitan ex parte, pendet ex quadam vaforum fecernentium conditione, quæ, etiamfi accuratè, qualis fit, definire utique nequeamus, tamen fit, quare fecernatur bilis folito spiffior. Ita effe, vero haud abfimile eft; eò quòd, eandem ob caufam, ut medicis videtur, alii itidem liquores folito spiffiores a propriis glandulis fecernuntur.

XXXI. Bilis caufarum (xxx.) quibuslibet spiffa, ductum *choledochum* fic oppleat, ut ipfa, ne in *duodenum* fluat, ex toto impedita, icterum neceffariò concitet.

XXXII. Infantibus recenter natis *auriginem* haud rarò efficit *meconium*, quo oppleri folent eorum ventriculus et inteflina, et fæpe numero ideo præcluditur oftium ductûs *choledochi*. Icterus autem, quoties hac causâ efficitur,

citur, vel bilis spiffitate, fugax plerumque est et fanatu facilis.

XXXIII. Morbum verò regium nihil tam frequenter concitat, quàm concreta, quæ ductum hepaticum, vel *choledochum*, bili omnino impervium reddunt. Morbum ex hujusmodi concretis oriri, potest colligi, eo quòd modò intermittit, modò ingravescit; quòd frequenter dolore cruciatur *epigastrium*, vomitu tentatur ventriculus; demumque, quòd in iis, quæ deorsum eruperint, concreta conspiciuntur.

XXXIV. Hujusmodi concreta, ex diversis quidem partibus ductuum, per quos fluit bilis, eruta sunt; sed inter plerosque convenit auctores, in fellis vesica ingenerari. Incisis enim cadaveribus eorum, qui mortui sunt bile suffusi, in hac concreta numero plurima, imò; ut certiores nos facit BAILLEIUS*, præclarus ana-

C

tomicus,

* Vid. BAILL. *Morbid Anatomy*.

tomicus, millia simul et ampliùs, inventa sunt.

XXXV. Concreta ex felle permultùm sanè magnitudine variant. Modò exigua, facilè per ductus in *duodenum* provehuntur: modò adeo vasta sunt, ut, esse per ductus protrusa, miremur. Nobis est concretum felleum, a foemina excretum, et figurâ ovatum, cuius diametros minima septem ex decem digiti partibus, maxima autem octo ex totidem, et tertiam decimæ partem, longa est.

XXXVI. Omnibus ex bile concretis neuti-quam est eadem figura. Cùm in fellis vesica ductibusve complura simul insunt, sæpissime mutuo attritu polygonia sunt; sed cùm solitaria, plerumque ovata.

XXXVII. Quòd ad fabricam attinet, concreta, de quibus agitur, componuntur ex lamellis,

mellis, quæ in his a centro, radiorum modo, discedunt, in illis commune centrum ambiunt. In eodem interdum concreto lamellæ, interiora versus, a centro divaricant; dum, exteriora versus, circumplectuntur commune centrum. Quinetiam, testante FOURCROIO, interdum crystallæ specie simulant.

XXXVIII. Multùm, necnon, variant colore. Subfusca persæpe sunt; et, cùm hoc insignia sunt colore, gustatu perquam amara. Modò in nigritudinem vergunt; et, denique, modò albidus iis est color.

XXXIX. Concreta fellea plerumque luci impervia sunt, et friabilia. Admoto igne, flammam concipiunt; et, ob levitatem, aquæ supernatant. Aliàs autem in hanc indita, feruntur suo deorsum pondere*.

XL. Quali

* Vid. *Edin. Med. Essays*, tom. ii. pag. 293.

XL. Quali natura sint hæc (xxxiii.) concreta, nondum periculo satis compertum est. Quòd bilis acidis admista citò concrefcit, ideo existimat MACLURGIUS *, constare ex bile, et ex acido e ventriculo in *duodenum* hincque in ductum *choledochum* derivato, quæ connubio et mistu in solidum concreverint.

XLI. Ita verò (xl.) esse, minimè verisimile est. Propter enim obliquum ductûs in *duodenum* introitum, qui valvulæ utique vice fungitur, liquor quilibet, ex hoc in illum, vix, et forsitan ne vix quidem, fluere potest. Quinetiam constat, concreta, ad quæ disputatur, plerumque in fellis vesica formari; secùs pròfectò ac accideret, si hæc (xl.) opinio esset vero consentanea. Verò enim si hæc congrueret, sæpius in ductu *choledoch* ea ingenerari oporteret.

XLII. Non-

* Vid. MACLURG. *de Bile*, pag. 175.

XLII. Nonnulli existimant, ex mera bile spissata constare. Quò hanc firmet opinionem, SWIETENIUS sic loquitur: “ Bilis enim
“ retenta fatis citò calculos producit: quod
“ et observavi in bile, quam sponte in vase vi-
“ treo puro reliqueram, ut putresceret; in
“ fundo enim vasis grumos calculosos inve-
“ ni *.”

XLIII. Ex magna concretorum, de quibus loquimur, inter se dissimilitudine, SANDERISIUS censet, neutquam ex mera bile spissata constare; sed ex partibus vel inter se dissimilibus, vel saltem dissimilem inter se habentibus rationem. Hic auctor, periculis quibusdam scienter ipso hoc consilio factis, ut, qua naturâ essent, exploraret, compertus est, concretum, quod examini subjecit, ex *resina*, et, ut putavit, exiguo *calcis*, *sodæ*, et *ammoniæ*, con- nubio quasi junctis potissimum conflare.

XLIV. His

* Tom. iii. pag. 132.

XLIV. His (xxxv.—xliii.) dictis de concretorum felleorum specie, fabrica, et partibus constituentibus, nunc ad rem redeamus.

XLV. Hæc concreta interdum diu in felle vesica remorantur, et tamen nihil ex his molesti homo capit. Sed, cum, corpore nimis opere exercitato, sive alioquin graviter commoto, in ductum *choledochum* propulsa sint, morbum efficiunt, qui non prius tollitur, quam in *duodenum* descendant. Interdum verò, dum in ductu etiam tardant, morbus paulatim decedit; quod imprimis accidit, cum figuræ inæqualia sunt, et corpore agitato sic fitum mutant, ut non, ex toto, obstant, quò minùs in *duodenum* bilis influat. Morbus, qui sic decesserit, non redit, donec casu aliquo iniquo commorans concretum ita ductum præcludat, ut, per hunc, in *duodenum* bilis nequeat fluere.

XLVI. Me-

XLVI. Medicamenta, ex iis quæ vomitum et alvum graviter movent, inter causas enumerata sunt, quæ icterum concitaverunt. Nul- lum verò, quo hoc facere possunt, modum no- vimus, præterquam quòd corpus agitando effi- ciunt, ut concretum ex fellis vesica in ductum *choledochum* propellatur.

CAUSA PROXIMA.

XLVII. Inter omnes ferè auctores conve- nit, *proximam* icteri causam esse bilem per totum corpus, intermedio sanguine, diffusam, idemque flavo colore inquinantem. Sed, eti- amsi ita esse ab omnibus ferè concedatur auc- toribus; tamen, qua viâ in circumfluum ve- hatur sanguinem, varias in partes disputatur.

XLVIII. Quibusdam olim visum est, bilem veram in irrequieto sanguine existere; et ideo,
intercluso

intercluso itinere, quo in *duodenum* fluere oportet, in sanguine sic redundare; ut hinc, per arterias exhalantes, effusa, non solum cutem, sed cæteras etiam plerasque corporis partes, flavo colore inficeret.

XLIX. Hanc (XLVIII.) opinionem, quæ, utpote falsa, exoleverat, FOURCROIUS, *chymicus* præclarus, nervosè defendere nuperrimè conatus est. Ut ita opinaretur, inductus est gravis hic auctor experimento, quod ipse cum VAUQUELINO cepit, et quod in *chymicæ annalibus* fusè enarratur. Hoc experimentum, quid esset, quàm paucissimis, hinc loci, exponere, haud alienum videbitur.

L. Sanguinem ex bovis arteria elicatum, cui aquam, tertiæ ejus parti pondere æqualem, admiscuerat, subdito igni, quò cogeretur, imposuit. Ex admistis his coactis dissociatus est liquor, cui, simul atque ex eo partes tenui-

ores fatis vaporaverant, cum bile bubulâ tanta erat similitudo, ut ii, quotquot nihil facti suspicantibus est oblatus, profiterentur, bilis colorem, odorem, et etiam saporem edere. Quinetiam, *chymica* arte dissolutus omnes bilis virtutes prodidit.

LI. Quò, verane essent, necne, hæc, quæ (L.) asseruit FOURCROIUS, propriâ experientia comperirem, idem experimentum, quo præcepit modo, et summo studio semel cepi iterumque. Mea verò experimenta neutiquam eòdem, quò illius, processerunt: nam residuum, quod in utrisque idem reipsa videbatur, colore erat subfusco, et ad flavum nonnihil vergente, sed, præterea nihil, bubulam simulante bilem. Gustatu enim neque mihi, neque amicis, qui aderant complures, amarum videbatur.

LII. Eodem (LI.) consilio, residuo simulque bili bubulæ acidum *sulphuricum* instillavi : quo facto, bilis evasit turbida, concretá, et ex albidâ flava ; dum residuum subrubrum, sed non, quàm antea, concretius.

LIII. De eventu unicæ tantummodo periclitationis certiores nos facit FOURCROIS. Hanc verò res incognitæ usque, forsan, eò perturbaverint, ut ipse periclitans errore deciperetur. Imo etiam sanguis, quem tractavit, fuerit iisdem, fortasse, quibus efficitur icterus, causis inquinatus bile, quæ, postquam satis vaporâisset, sensibus perciperetur.

LIV. Cùm ita (LIII.) fit, non æquum nobis videtur, priùs cum FOURCROIS accedere, veram bilem in circumfluo sanguine existere, quàm complura experimenta, eundem in finem eodemque eventu capta, ejus opinionem firmaverint. Interea itaque nobis convenit

cum

cum iis, qui bilem, æquè ac urinam et femem, sanguine a propria glande diffociari opinantur.

LV. Rejeçtâ igitur a nobis hac (XLVIII.) opinione, restat, ut de aliis compressè dicamus, quas de *proxima* icteri causa auctores acceperint.

LVI. Hæ (LV.) omnino duæ sunt: quarum

1. *Una* est eorum, quibus videtur, bilem vasis bibulis absorberi; absorptamque, iisdem in sanguinem devehî;

2. *Altera* autem eorum, qui existimant, absorptione quidem nullâ, bilem per *poros biliarios* in sanguinem refluere.

LVII. Cùm

LVII. Cùm inter omnes conveniat, fistulas bibulas in ductus, quibus fluit bilis, inhiare; profectò, quin, his ductibus qualibet causâ imperviis, illæ fistulæ hinc bilem cumulatam ipsasque irritantem inhalent, et in irrequietum devehant sanguinem, dubitari non potest.

LVIII. Icterus revera sic (LVII.) effici, MONRO, experimento affabrè capto, fatis probavit. Patefacto enim animantis abdomine, ligatoque ductu communi *choledoch*, haud multò post vasa jecinoris bibula, quæ sanè initio non conspicua erant, itidemque ductus *thoracicus*, liquore turgescébant, quo admistam bilem color et amaritudo fatis manifestârunt.

LIX. Hac (LVIII.) re cognita, non est, quamobrem bilem, quoties ei in *duodenum* non pateat introitus, in sanguinem absorberi, et sic *auriginem* efficere, inficias iremus.

LX. Cæ-

LX. Cæterùm, solo hoc (LIX.) modo effici *auriginem*, negant nonnulli, qui putant, obturatis vel constrictis ductibus, bilem per *poros biliarios* in furculos venæ cavæ hepaticæ retroactam fluere posse.

LXI. Medici hanc (LX.) opinionem acceperunt, propterea quòd, inter venas cavas hepaticas et *poros biliarios*, pervium intervenit. Hoc reipsa existere, fatis constat, eo quòd, ut fert HALLERUS, liquor quilibet subtilis, in ductum hepaticum immiffus, in venas hepaticas haud ægrè influit.

LXII. Ita (LXI.) esse, perhibet quoque SANDERISIUS; qui certiores nos facit, immiffam leni quidem impetu in ductum hepaticum aquam, expedito in venas hepaticas rivo plenoque fluere. Quocirca, verifimillimum existimat, fore, ut bilis, quâlibet causâ, ne in *duodenum*

denum fluat, impedita, per ductum hepaticum et *poros biliaris* in venas hepaticas retroeat.

LXIII. Bilem sic (LXII.) in sanguinem reapse refluere, periculo compertus est. Inciso enim canis abdomine, et ligato ductu hepatico, duabus post horis e vena *jugulari* sanguinem misit, cui dedit copiam stagnandi, dum in partes constituentes sese sponte dissociavisset. Jecinore tum deorsum paululum a septo transverso dimoto, unâ ex venis cavis hepaticis detraxit sanguinem, cui eandem sese in partes componentes sponte resolvendi occasionem præbuit. In serum deinde utriusque sanguinis albam chartam immerfit; quarum autem, ea in serum sanguinis e vena hepatica eliciti immersa, multo, quàm altera, flavo colore saturatior exinde prodiit.

LXIV. Ni aliquis in hoc (LXIII.) periculo latuerit error, perspicuum est, plus fellis in
vena

vena cava hepatica tum infuisse, quàm in vena *jugulari*. Quoniam verò nihil, quamobrem ita esset, præter bilem in illam venam retroactam, novimus, concedendum est, hunc liquorem in sanguinem sic utique remeare, et sæpe unà cum eodem in eundem absorpto committere, ut homines ictero flavescant.

RATIO SIGNORUM.

LXV. *Flavedo*,—quam suprà (vi. vii.) memoravimus, bile efficitur, qua partes suffunduntur. In oculorum verò tunica *albiginosa*, quippe cui naturaliter fit color albidus, hæc *flavedo* maximè conspicua est. Flava (viii.) urina est, et amara saliva, ob bilem, quæ cum iis ex inquinato sanguine secernitur.

LXVI. *Vi-*

LXVI. *Visus* (x.) *depravatus*,—si modò accidat, humoribus oculorum bile decoloratis, et flavum permeantibus radiis colorem impertientibus, tribuendus est.

LXVII. *Cutis* (ix.) *pruritus*—efficit bilis arteriis exhalantibus effusa, nervosque, quibus, sentiendi causâ, affatim instruitur cutis, irritans.

LXVIII. *Fæces* (ix.) *albidæ sunt, et alvus astricta*—, propterea quòd intestinis bilis deest. Hac enim deficiente vel nullâ, neque, ut folent, flavent fæces, neque sic incitatur alvus, ut contenta bene dejiciat.

LXIX. *Languoris* (v.) *et lassitudinis*—causa, forsitan, est consortium, quod torpidis intestinis est cum cætero corpore. Tantum enimvero est hoc consortium, ut, torpentibus intestinis, quadantenus torpeat totum corpus.

LXX. *Nau-*

LXX. *Nauseæ* (v.) et *vomitûs*—rationem reddere, non æquè facile est. Pendent, fortasse, ex consensu, qui ventriculo cum morbidis partibus intercedit, vel, quod verifimilius aliquanto est, ex succo *gastrico* effusâ secum bile corrupto.

LXXI. *Hypochondrii* (v.) *dextri distentio et dolor*—possunt effici, vel bile in vesicâ felleâ cumulatâ, ejusdemque tunicas paulatim distendente; vel concretis ipsos ductus felleos irritantibus et distendentibus, atque, pro rata figura moleque, plûs acutum minûsve concitantibus dolorem.

LXXII. *Febris* (xii.) *signa*—efficit irritatio, quæ concretis ductus felleos obturantibus supervenit.

P R O G N O S I S.

LXXIII. Cùm icterus, æquè ac alii morbi haud pauci, multis concitetur causis, quarum complures nequeunt, nisi cadaveribus ferro patefactis, cognosci; idcirco ejus eventum certò neque præscire neque prænunciare possunt medici.

LXXIV.--I. Cùm hic morbus juvenes et robustos afficit, qui eodem nunquam antea affecti sunt; cùm adest neque febris, neque magna debilitas; et cùm causis, quæ possunt submoveri, proficiscitur, bonum est.

2. Quando, inter graviditatem, oritur ex utero ductus comprimente, bonum iterum est; quippe cùm, post partum, paulatim evanescat.

3. Bonum

3. Bonum quoque est, ubi icterus tenacibile, vel impactis in ductus concretis, efficitur; hi enim obices, etiam si gravem interdum concitent dolorem, raro adeo magni sunt, ut in *duodenum* promoveri nequeant.

4. Optimum, demum, est, ubi, cessante dolore, subsequitur diarrhœa biliosa. Hæc enim, cum accidit, ea, quæ impediabant, quò minus in *duodenum* flueret bilis, penitus submota esse, luculenter ostendit.

LXXV.—1. Sed, cum ictero afficiantur ætate proveci, qui eo jam antè plexi sunt, malum est.

2. Pejus est, cum aliquis bile suffusus est vicinarum partium tumoribus ductus comprimentibus; imprimis autem duritiis, quippe cum rarissimè sanari possint.

3. Servari,

3. Servari, denique, vix potest ictericus, si quando febriat, et defluant paulatim vires: tum enim brevi aut ascite extinguitur, aut sudore usque ad mortem colliquet.

RATIO MEDENDI.

LXXVI. Cùm icterus efficiatur multis causis, quarum aliquæ submoveri nequeunt, minime mirandum est, medicamenta plurima, eaque inter se quàm maximè contraria, ad eum sanandum esse, et sæpe incassum, adhibita; dum aliàs, nullis medicamentis assumptis, sæpe sponte evanuit. Empirici, arreptâ hinc ægrotos fraudandi occasione, datisque astutè inefficacibus medicamentis, sæpe prædicârunt, se ad sanitatem perducere morbum, qui sponte solutus est.

LXXVII. Quò

LXXVII. Quò ad fanitatem perducatur morbus regius, opus est,

Primo, signa graviora levare ;

Secundo, submovere causas, quæ eum initio concitaverint, etiamnumque concitent.

CONSILIUM PRIMUM.

LXXVIII. Cùm, in hoc morbo, et in aliis quibusdam, signa gravia priùs mitiganda sint, quàm tolli possint causæ, quibus fuerit concitatus, nobis factu optimum videtur, quo modo illa possint leniri, quàm paucissimis præfari.

LXXIX. *Dolor*.—Hic, si in regione hepatis perquam acutus sit, simulque adsit febris, efficacissimè lenitur, sanguinem semel, et, ni optatò cesserit prima detractio, iterùm detrahendo.

hendo. Levare etiam potest dolor, vel partem laborantem fovendo, vel, cùm non adest magna vis febris, opio aut ipso, aut medicamentis quibus inest.

LXXX. *Vomitus et cutis pruritus*—leniuntur, ille opio, hic eodem medicamento aut balneo.

LXXXI. — 1. Contra *dyspepsiam, alvum astrictam*, aliasque ægrotudines quas efficit bilis defectus, plurimum valent amara, et medicamenta ex iis quæ alvum tardam leniter movent. Eundem in finem, multum possunt medicamenta utriusque generis conjuncta, radix velut Pontica, et sapo; utpote quæ polleant facultate non solum intestina stimulandi, sed etiam oleosas alimentorum partes cum aquosis consociandi, et sic committendi ut *chylus* expeditius paretur.

2. Eodem

2. Eodem (LXXXI.—I.) confilio, fuadent nonnulli medici, bilem ex vilioribus animantibus extractam devorare ; neque nobis profectò dubium est, quin, absque foret fastidio quod faceret, permultùm utique prodeffet.

CONSILIUM SECUNDUM.

LXXXII. Causæ, quippe cùm naturâ diversæ sint, diversis itidem modis submoven-
tur.

LXXXIII. *Duritias emollientia.*—Quoties icterus ex hepatis partiumve vicinarum duritiis oritur, decurrendum, primo quoque tempore, est ad medicamenta, ex iis quæ duritias emolliunt.

LXXXIV.—I. Hujus (LXXXIII.) generis multùm posse putata sunt complura, præcipuè duo quæ, hìc loci, compressè memorabimus.

2. *Hydrar-*

2. *Hydrargyrus* prædicatur, plurimùm, ad duritias emolliendas, pollere. Verùm, etiamfi, in hunc finem adhibitus, compluries quidem profecerit; tamen semper profuturum, minimè prædicare medicum oportet, quippe cùm neminem fallat, sæpenumero expectatione secùs cessisse.

3. *Cicuta* etiam fertur, multùm ad duritias emolliendas pollere; sed spem medici persæpe itidem mentitur. Neque profectò ullis hujus (LXXXIII.) generis medicamentis multùm credere medicos oportet. Cùm ita fit, icterum, quem effecerit jecinoris duritia, vix, et profectò plerumque ne vix quidem, opis est nostræ ad sanitatem perducere.

LXXXV. *Spasmm solventia*. — Icterus, quoties eum concitaverit ductuum spasmus, iis sanandus est medicamentis, quæ spasmum solvunt.

LXXXVI. Ad

LXXXVI. Ad hoc (LXXXV.) genus pertinent opium, medicamentave quibus hoc inest, et externi abdominis parti laboranti obversifotus. In tepidarium insuper, quippe quod totum corpus insigniter laxando permultum proficiat, descendere ictericus debet, cum spasmoeffici morbum, quo flavet, suspicatur.

LXXXVII. *Purgantia.*—Quoties infantes, recenter nati, *meconio* ostium ductûs *choledochi* opplente flavent, factu optimum est, alvum semel, et, si opus sit, iterum purgare.

LXXXVIII. Quò curetur *aurigo*, quam concitaverint concreta, opus est hæc vel *solvere* vel *expellere*.

LXXXIX. *Solventia.*—I. Ex medicamentis, quæ concreta solvendi facultate pollere prædicata sunt, *sapo*, *alcalia*, *gramina*, hisque consimilia, plurimum posse existimantur. Cer-

tiores nos facit SWIETENIUS, ictericum, gramina ferè sola pascitando, quibus se ingurgitare solebat, ad sanitatem perductum esse.

2. Sed, quoniam hujusmodi (LXXXIX.—I.) medicamenta nihil ferè omnino ad fellea, extra corpus, concreta solvenda valent; non est, quamobrem fore, ut, ad hæc irrequieti sanguinis interventu delata, plus valeant, opinemur.

3. *Oleum terebinthinum*, spiritu vini commixtum, fellea concreta, extra corpus, liquare, periculo utique compertum est. Cæterùm, ob acrimoniam, hoc medicamentum non, nisi exiguissimâ quantitatè, in ventriculum assumi potest; et profectò, etiam si magnâ quidem quantitate intùs posset tutò assumi, adeo tamen priùs dilueretur, imo etiam fortasse mutaretur, quàm ad contactum cum concreto deferretur, ut nulla omnino solvendi facultate polleret.

XC. *Expellentia*.—I. His itaque (LXXXIX. 1. 2. 3.) medicamentis, utpote quæ parùm proficiant, rejectis, proximum est, ut, quibus medicamentis expellantur concreta fellea, quàm paucissimis exponamus.

2. *Vomitionem*, utpote quæ corpus graviter agitet, omniaque abdominis viscera comprimat, ad submovenda ex ductibus concreta fellea permultùm posse, periculo sæpenumero compertum est. Verùm, siquando inflammatio signis propriis se manifestet, vomitio non priùs cienda est, quàm, sanguine misso, illa repressa fuerit. Quinetiam, cùm fit periculum, ne, vomitu frequenter incassùm moto, concretum, quod, præ magnitudine, in *duodenum* propelli nequeat, adeo in ductum adigatur, ut hinc quidem in fellis vesicam retroagi non possit; ideo a vomitione abstinendum est, si semel iterumve concitata nihil profuerit.

3. Ca-

3. *Cathartica*, porrò, quibus expellantur concreta fellea, assumere mos est; et profectò haud ineptè, quippe cùm, citatâ alvo, fellei itidem ductus incitari possint. Hunc autem in finem, movenda leniter, neque frequenter, alvus est; aliter enim usque eò exhaurientur brevi vires, ut nullo postea modo queant redintegrari.

4. *Equitatio*, insuper, lenis, ad concreta fellea in *duodenum* promovenda, multùm sanè pollet; cùm præsertim, haud secùs ac vomitio, universum corpus agitet. Verùm a vehementi hujusmodi exercitatione abstinendum est, ne hinc, æquè ac e vomitione nimia, quid ictericus detrimenti capiat.

5. *Opium*, denique, et *tepidarium*, utpote quæ sanè relaxent corpus, efficiant, minùs licèt rectà, ut expeditiùs in *duodenum* promoveantur

concreta

concreta fellea. Quocirca, ad ea confugiendum ab icterico est, ni inflammationis ambiguis minimè signis deterreatur.

XCI. Ictero submoto, præcavendum omnibus est modis ne redeat. Hoc consilio, oportet causas excitantes suffugere; proclivitatem corrigere; corpusque medicamentis, ex iis quæ roborant, firmare. Eundem in finem, prodest corpus leniter exercitare: corpore enim sic agitato, bilis in *duodenum* concitatiores defluit motu; qui ejusdem, profectò, concretioni maximopere officit.

XCII. Icterus autem, si concretis fellis oriatur, ad sanitatem licet perducatur adhibitis opportunè medicamentis, iterum tamen, dum vivitur, iterumque, interposito tempore, ferè invadit: complura enim hujusmodi concreta plerumque in fellis vesica simul existunt; et,

uno

uno per ductus, *cysticum*, nimirum, *choledochumque*, magno cum dolore in *duodenum* protruso, aliud, interjecto tempore, in eisdem decedit, gravissimos iterum dolores concitaturum.

F I N I S.

